

N. 66. 51.



M

B. LUTHERI PARENTALIA.

Hoc est,

Argumentorum, pro stabilien-
dis articulis fidei Christianæ, à prædecessoribus
Theologis Orthodoxis huc usq; positorum fir-
mitas & evidentia,

Ecōtra hæreticæ profanæ ac inflatæ novitatis improbatio:

Sub hac quæstione,

*Num in adversariorum gratiam antiquis fidei funda-
mentis cedere, novasq; probandi rationes veteri-
bus explosis assumere necesse sit aut
licitum?*

Oratione simplici, (veri tamen & aperti studiosâ,)
concinnata, & in inclytâ Academiâ Witebergenſi Anno
Christi 1615. mense Aprili recitata,

à JOHANNE CLOSIO Wratis-
laviensi Silesiô.

Nunc permissu superiorum prælo publico commissa.

VVITEBERGÆ

Ex officina Johannis Richteri, Sumpti-
bus Helvvichianis.

VIRIS

Magnificis, Strenuis, Nobilissimis, Amplissimis, prudentis-
simis atq; spectatissimis,

Dn. ADAMO Dobschütz in Eymenaw/Celeberri-
mæ urbis atq; Ducatus VVratislaviensis Præfecto utiq; di-
gnissimo, maximè circumspecto,

Dn. DANIELI Hefeler in Polockowitz & Wangern. } Amplissimi or-
dinis Senatorij

Dn. JOHANNI Haunolde in Rühnberg } Breslæi Senio-
ribus pruden-
tissimis atq;
honoratissi-
mis,

Quorum ille Administrator Capitanea-
tus Namslaviensis, hic Novoforensis
Strenuissimus,

Dn. HEINRICO Schmitz in Schmidfeldt / Grünaych /
& Höffichen/ inclyti Senatus Wratlaviensis Came-
rario fidelissimo,

Dn. JOSEPHO Fürst in Ruffenberg laudatissimi dicasterij
pupillaris Wratlaviensis Collegæ & primario assesso-
ri, æquissimo,

Dn. CHRISTOPHORO à Poley in Thiergarten/ Scholarchæ
Wratlaviensium, & Stipendiorum ex inclytâ Wratlavi-
viâ Academicorum præfidi studiosissimo,

Dn. JOHANNI Herman/ Eleemosynarum Ecclesiasticarum
Wratlavi: Antistiti & Ædili solertissimo,

Amplissimæ Curia Wratlaviensis Patribus Conscriptis, Ec-
clesiæ Reiq; publ. patriæ singulare ad emolumentum, exte-
ræ magnam ad admirationem, profundam observantiam,
ac sui ipsius decus immortale, cum urbis famâ lauda-
tissimâ, rem suam gerentibus,

D Dn. Patronis suis atq; promotoribus, Optimis, maximis,

*Hoc exile observantiæ, gratiarum & opis im-
petrandæ nuncium,*

Ablegat & offert

Johannes Clofius SS. Theol. Stud. Autor.



RECTOR ACADEMIÆ
WITEBERGENSIS

BALTHASAR MEISNERUS,
S.S. Theol. Doctor & Professor
Publicus.

A Pud Thucydidem Cleon Orator
illa tempestate apud plebem gratio-
sus, Athenienses increpat, quòd & fa-
cillimè se decipi orationis novitate patiantur,
nec quæ decreta ac probata sunt, facilè exequã-
tur, *δῆλοι ὄντες τῶν ἀεὶ ἀτόπων ὑπερό-
πται δὲ τῶν εἰωθότων.* Ejusdem vicii D. Lu-
cas post annos propè D. arguit illius urbis inco-
las, Athenienses omnes, inquiring, & qui illic ver-
sabatur hospites, ad nihil aliud idoneos, quàm
ut novi aliquid vel dicerent, vel audirent. O-
ptandum autem esset, de sola illa urbe hæc af-
firmari posse, quæ sicut domicilium fuit sapi-
entiæ, & literarum ac disciplinarum omnium
quasi fons, & totius propè terrarum orbis lu-
men quoddam; sic ante Pauli Apostoli adven-
tum veritatis cœlestis noticiâ prorsus caruit.

A 2

Verùm

Verùm enim verò cùm aliis in rebus, tum in iis
quæ ad religionem pertinent, nimis verum es-
se experimur, quod quidam dixere: τὸ φιλό-
καινον φύσει πᾶσιν ἀνθρώποις ὑπάρχει,
καὶ τὸ ἀψίκορον. Naturâ mens hominis vaga
& curiosa, quietis impatiens & novitate rerum
lætissima. Cùm autem illud vitium in rebus
profanis rectè vituperetur, & probandum me-
ritò sit Baptistæ Mantuani effatum: Cura viris
levibus rerum solet esse novarum: Longè illud
magis vituperandum est, cùm adhibetur iis re-
bus, quæ naturâ suâ omnem disquisitionem
respuunt, & quas credere reverentius est, quàm
scire; aut sine illegitimo, ut desideria inquieti
animi satientur, non ut per cognitionem re-
rum evadant meliores. Nunquam enim de-
sunt levia ingenia, quæ novitate rerum & futili-
bus inventis permoventur. Hanc ergo homi-
num pravitatem cùm intelligerent Apostoli;
toties à vanitate illa & curiositate, atq; cupidi-
tate rerum novarum auditores suos avocârunt.
Inde Petrus in sermonem propheticum inten-
tos nos esse jubet, tanquam in lucentem in lo-
co obscuro lucernam. Et Paulus Timotheo
suo præcipit, ut in iis, persistat ac perseveret,
quæ

quæ didicerit, quæq; ipsi concredita sint, ut qui
sciat, à quo didicerit, & à puero sacras literas no-
verit. Magnopere quippe prodest & forma-
torem nancisci idoneum; & assuefieri doctrinæ
generi à teneris. Nam *παυδομαθεῖς* diu di-
scunt, & res easdem sæpe repetitas firmiùs ap-
prehendunt. Itaq; cùm altiùs in animo radices
egit pietatis scientia, non facilè evelli potest.
Quamvis ergo id hodie evenire videamus,
quod Apostolus futurum prædixit, ut quem-
admodum ante exortam Evangelii lucem Mo-
nachi ab una secta ad aliam se transtulerunt,
tanquam ad perfectiorem, quietem se consci-
entiæ invéturos, sed frustra, sperantes: Ita nunc
sanam doctrinam non ferant homines, sed ad
suas libidines sibi magistros cumulent, auri-
busq; prurientibus & à vero averfis, ad fabulas
se convertant: Nos tamen in dubitationibus,
quibus destituta verbo Dei mens naturaliter
conflictatur, memores præcepti Apostolici,
non simus semper-pueri, qui omni doctrinæ
vento fluctuemus atq; circumferamur. Qui
jam Christiani facti, fundati esse debent: Quia
ambiguitas in fide nostra non est. In hanc ve-
rò sententiam cùm plura postea dicturus sit

A 3

Johan

JOHANNES CLOSIUS Vratislavien-
sis, & ostensurus, non esse conveniens aut ne-
cessarium, ut in adversariorum gratiam, relictis
antiquis, novæ quærantur religionis probatio-
nes: Hortamur Cives Academicos, ut hora II.
finita concione, in auditorio Collegii Friderici
maximo ad auscultandam orationem illam
frequentes conveniant. P. P. Dominica Remi-
niscere, anno M. DC. XV.



Delibe-



*Deliberatio: Num in gratiam aduersario-
rum, relictis fundamentis antiquis religionis
novas probationes quarere conveniens
aut necesse sit.*



MAximè vellem, Patres Academi-
ci, Rector Magnifice, Viri Reverendi, Cla-
rissimi, Consultis., Excellentis. Experien-
tissimi, Præceptores ac fautores æternùm
honorandi, vosq; auditores præstantis. omnium or-
dinum lectis., ut insignis ille tum in DEUM, tum in
homines de Ecclesia ac Republ. optimè meritos Israë-
litarum affectus, quo DEO simul & hominibus cha-
rū Mosen, cujus memoria est perbeata, diebus trigin-
ta fleverunt, & pro dignitate æstimari, & hodierni hu-
jus instituti mei ratio æquissima, quâ nec ingenij mei,
quod est per quam exiguum, ostentatio, nec eloquen-
tiæ, quâ me natura non instruxit, gloria, neque vanæ
laudis, à quâ me cum ingenuis omnibus esse cupio re-
motissimum, ambitio unquam affectata fuit, dextrè
posset intelligi. Cum enim justus in memoriâ sit æ-
ternâ, & opera beatè mortuorum ipsos sequantur,
quin & in tempore visitationis extremæ resplende-
scere debeant, & veluti scintillæ in stipulis sint discur-
suri, judicaturi gentes, dominaturi populis, & DEUS in
eis in perpetuum regnaturus, nil profectò tam est
Chri-

ORATIO.

Christiana devotioni conveniens, ac ei, quam Ecclesia militans exercet, justitiæ magis proprium, quàm ut bonorum laborum fructus sit gloriosus, nec radix prudentiæ, tam in verbi prædicati auscultatione, quàm in hominum gratorum, qui viros amplioribus donis ac utilioribus in Ecclesiâ laboribus præclaros mirabundi venerantur, honorificâ recordatione decidat aut evanescat. Hujus autem rei considerandæ occasionem, illustri ac celeberrimæ Academia, urbiq; nostræ imò laudatissimæ Saxoniae universæ, toti denique Christiano puriore Evangelij veritatem amplectentium orbi, dies ab hinc 15. attulit, quò ante annos 69. admirandum illud Germaniæ lumen B. Lutherus, vitam cum morte commutando, velut extinctum est, ejus obitus solennitas, ut nobis gratam, ipsi Luthero immortalem, sibi vendicat memoriam, & omnibus observantiæ modis sub annuam revolutionem est excolenda, ita certè, utrum potius ex consideratione organi hujus Electi, cujus vita toti pro fuit Ecclesiæ, quem mors triumphantibus copijs cœlestibus adjunxit, in ampliores lætitiæ motus nos rapi patiamur, an magis ex amissione boni tanti, & dictoris eximij, perturbationibus gravissimis distrahi debeamus, haud parum ambigo. Quis enim adeò ab omni pietate alienus fuerit, ut dum ad æternam felicitatem senatum, sibiq; altiora præter hunc mundum & caduca mundi bona, proposita esse agnoverit, rationem isthæc assequendi, quæ præter veram DEI agnitionem nulla est, haud investiget? quis sibi tam inimicus adeoq; salutis propriæ negligens, ut ad exitium relictâ beatitudine cœlesti,

ORATIO.

cœlesti, quæ omni gaudio mundano superior est, se
 præcipitem ultrò dejiciat? quis deniq; beneficiorum
 divinorum ita inmemor, aut humanitatis omnis i-
 gnarus, ut dum sibi erectum cornu salutis, pedesque
 suos in viam pacis directos esse cognoscit, & se gaudiò
 summò perfundi non sentiat, & illius nomini per
 quem DEUS tanta præstare voluit, plurima se debere,
 non fateatur, ac proinde de grati animi *τεκμηρίοις* ipso
 opere proferendis non sit sollicitus? At ubi, quidnam
 ille, qui scriptis suis hostes veritatis profligavit, Eccle-
 siam fideliter instruxit, Tyrannos precibus abegit, &
 instar, muri contra rupturam perstitit, sit meritis, pro-
 bè examinatum fuerit, fieri certè nequit, quin viro ta-
 li, cujus, dum viveret, ad bonum publicum nati, labor
 & studium multis omnes modis delectabat, deceden-
 te, pij longè pluribus angustiis excrucientur, idq; tan-
 tò gravius, quantò majori cum agmine calamitas in-
 gruere cernitur, ut vel adversitates sæpe vivis ejusmo-
 di viris, sese ad impetum Ecclesiæ inferendum accin-
 xisse, viresq; suas usq; post illorum ex hac vitâ transi-
 tum reservasse, vel hominum ita præclarorum obitus
 Ecclesiæ Orthodoxæ quasi fatalis fuisse, non obscure
 judicari possit. Utinam autem extremis hisce tempo-
 ribus à conquassatione tantâ Ecclesia esset immunis,
 quæ, ne dicam de persecutione & tyrannide politicâ,
 tantam animorum, in causâ religionis, diversitatem, à
 tempore reformationis, & morte B. Lutheri, vidit &
 experta est, ut universa Concordia Ecclesiastica si non
 penitus cum hoc summo viro extincta, plurimum ta-
 men infirmata cuiquam haud abs re videatur, id quod

B

hodie

ORATIO.

hodie præ reliquis, præ dolor, fatis superq; Neo Arriani sive Photiniani hæresi suâ nefariâ, omnium oculis exponunt. Quorum sectariorum impietate insigni subvertitur Evangelium, vera Christianæ fidei fundamenta sacris in scripturis à Spiritu S. passim jacta, & ab omnibus veritatis salvificæ suæq; salutis amanti- bus unanimiter huc usq; apprehensa, per novorum in Theologiâ principiorum ac falsarum hypothesen obtrusionem infirmantur, dimoventur, eruuntur. Itaq; cautelæ memor animadvertens tum erroris fecunditatem, tum periculi magnitudinem, tum quoq; judicij, in studijs meis, eò felicius atq; solidius informandi necessitatem ac commodum, benè me juvante divini numinis dexterâ, pauca quædam hæcenus mecum cogitata, de gravi illa quæstione: An nimirum hæreticorum vel versutia in argumentis excogitan- dis, aut impudens veritatis rejectio, nos, à fundamen- tis hæcenus in religione nostrâ assertis, avocare debe- at, nobisq; ab his dimotis nova fidei stabilimenta quærere conveniat, examini vestro subjiciam: ad quod eò facilius expediendum, benevolò vestrum omnium favore, ac placidâ aurium animorumq; accommoda- tione, tenuitatem meam sublevari atq; resarciri hu- milimè desidero. Memorabilis est D. Chrysoft. sententia, sic habens: Homo circa mortem Phantasias videt, sic & mundus in exitu suo multos patietur er- rores: quæ meretur & assiduum verborum repetitio- nem & industriam rerum inibi contentarum truti- nam. Est hoc namq; Christi ipsius vaticinium, Est D. Petri eloquium, est Apostoli Johannis effatum, ad do- ctrinam, correctionem, atq; cautelâ nostram scriptū, ut per-

Matt. 24.

vers. 24.

2. Pet. 2.

vers. 1.

2. Joh. v. 7.

ORATIO.

ut perfectè ambulemus sicut viri, stantes instar cata-
phracti militis, adversus ignita tela Sathanæ, & nemo
propositam nobis metam dimoveat, aut coronam no-
stram è mediò tollat. Ad causas istius rei si oculum in-
tendimus, offerunt se diversæ, quarum alia penes in-
fensissimum hominis ac DEI hostem Diabolum est, a-
lia ex hominum innatâ tam superbiâ quàm malitiâ
dependet, alia emolumentum Ecclesiæ, sapientissimò
DEI Consilio intendit. Nostis enim Audit: omnium
ordinum præstant: lectis., quod Diabolus quasi Leo
rugiens circumbeat, quærens quem devoret, legistis
quod se transformet in angelum lucis, edocti estis eū
esse patrem mendacij, qui variè fuit mendax in ore
suorum Pseudoprophetarum: Est hic, ut Lactantij ver-
bis utar, pravus ac subdolos Spiritus, qui est inimicus
hominis, hostisq; justitiæ, & insidiatur universis: Eos
qui DEUM nesciunt, errore impedit, stultitiâ obruit,
tenebris circumfundit, ne quis possit ad divini nomi-
nis notitiam pervenire: Eos autem, qui DEUM sciunt,
dolis & astu aggreditur, ut cupiditate aut libidine in-
veniat, aut peccatis depravatos impellat ad mortem.
Nec aliquem hâc in mortalitate cōstitutum reperiri,
censeo, qui vel omnes homines naturæ vitiò ad elatio-
nem quandam aspirare, ac à reliquis singulare quip-
piam habere velle, inficias eat, maximè autē iste fasto,
obnobilius objectum in rebus fidei, surgit, unde tali-
bus hæretici signati sunt notis, quòd dominationes
contemnant, audaces sibi placeant & sectas intodu-
cere non vereantur, loquentes superbiam vanitatis;
ad quod accedit id quod Christus ait: Oportet esse
scandala, quibus alij ex imbecillitate humanâ vi-
victi,

2. Tim 3.
2. Pet. 2

ORATIO.

victi, facilimè in errorem, qui aliàs fœcundus est, ob novitatem, quam homines appetunt, adducuntur. At quid illud, quod in agrò Ecclesiæ nobili tritico sunt admixta Zizania? Nil certè, nisi ut & unde partes officij sui Ecclesia undiq; fideliter exercent, & lux Verbi divini lucens in obscurò locò magis clarescat, & veritas juxta falsitatem hæreticam posita, potentius vires suas, quasi gladius penetrans exerat, assequatur. Hic autem, quid ne mens pia circumfusa erroribus fanaticis delinquat, agendum sibi sit, meritò deliberat. An itaq; fundamentis, quibus hucusq; sumus innixi, eadem non urgendo, cedemus? an novas fidei rationes meditabimur? Ad impia hæreticorum dogmata, deficere, certè damnabile; fidei suæ dubium esse, cum turpitudine conjunctum; spretis veteribus novas religionis ἀποδείξεις quærere vel animi minus eruditi, qui parum de salute suâ novit; vel inconstantis, qui facilè quovis doctrinæ ac hæreseos ventò agitatur & terretur, indicium est. Ante verò quàm aliquid hujus deliberationis in medium afferam, ingenuò candore, cujus mea mens conscia est, splendidissimo huic auditorio contestatum volo, quòd dum hïc quicquam definiero, nec alicujus auctoritatem, nec studiorum methodum, multò minus prlvatam vel fortè præconceptam opinionem aggredi velle, vel unquam in animum induxerim, ego quippe neq; me tantò judiciò præditum, neq; partibus officij mei demandatum, ut vel alicujus errorem intelligam, multò minus audaciâ solenni prosequar, agnosco, sed integram Orthodoxæ antiquitatis, & venerandorum prædecessorum verita-

ORATIO.

veritatem adversus hæreticorum *Φλαγίας*, & eorum
 firmitatem haud adeò elumbem, neglectis adversari-
 orum novationibus, vindicatam volo. Cum primis
 autem illud à nemine negari sanà cum ratione pote-
 rit, crescentibus errorum varietatibus, & multiplica-
 tis in impugandâ veritate conflictibus, eidem veri-
 tati quoq; plura defensionis arma meritò tribui, & ar-
 gumenta, solentiori studio recens etiam inventa, non
 ineptè urgeri posse imò debere, sed additis justis mo-
 deraminis habenis, ut & fundamenta vetera facta te-
 cta non tantùm in se persistant, sed etiam in ijs nobis
 tanquam in petra tot. us ædificij spiritualis & Chri-
 stianæ confessionis acquiescendum esse censeamus,
 & ijsdem immoti innitamur. Illud autem adversario
 plus confusionis atq; molestiæ parere vix dubitaveri-
 mus, si vel ejusmodi novorum argumentorum illatio,
 hæreticæ menti directè & è diametro restiterit, vel ex
 inversione nugarum hæreticarum desumpta, telum
 id, quod hæresiarcha summus in veritatem salvificam
 infigere decreverat, discussis falsi tenebris, in se retor-
 tum, invitus licet exceperit. Atq; cum mens humana
 sæpius improvida facilè laqueis errorum constringi,
 & unò cum commodò, non rarò plura importuna
 subrepant & coincidunt, industriæ certè laudem ac
 prudentiæ, nullus ei, qui novorum ejusmodi argu-
 mentorum meditatione, ad analogiam fidei semper
 recurrerit, æquitatis calculò tollet. Attendamus e-
 nim ad incomparabilem illum doctrinæ suæ defenso-
 rem, cujus lingua currit sicut sicut calamus scribæ ve-
 lociter scribentis, cui DEUS linguã dedit eruditam, &

O R A T I O.

*Matt. 22.
vers. 46.*

*Esa. 61.
vers. 2.*

*Luc. 4.
vers. 18.*

labia mellis instar, & favi stillantia, in quò omnes thesauri scientiæ & sapientiæ reconditi sunt, & hunc ipsum isthæc omnia vel praxi suâ nos docuisse, res loquetur. Is nimirum personæ suæ dignitatem ostensurus, ita Phariseos ex ipsorum propriâ responsione confudit, ut ne quidem amplius ausus quis eum interrogaverit. Et quàm insigniter id, quod Prophetæ olim de venturò Messia prædixerant, Judæi crediderant, & primitiva statim à conditò mundò fides fundamentū habuerat primarium, idem Christus in officij sui designationem explicans, ad doctrinam Esaia Prophetæ provocaverit, Evangelista Lucas annotatione fide dignâ prodidit. Unde nova, veteribus haud quaquam spretis, fulcra veritatis conjungere non absurdum, ea debitò modò exstruere, exstructa collocare, collocata firmiter tueri, discenti jucundum & honorificum, veritati conservandæ sit concinnum & necessarium. Ac ne benevolentiam vestrâ diutius abuti velle videar, eò quò principiò se mea mens alligavit, me promissi memor confero, & quidem, salvò cujusvis judicio, nihil ingenio meo, licet exili, videri tantum, quod nos ab antiquis in rebus fidei demonstrationum fundamentis & scripturæ locis avertere, & nova, prout à nobis exigunt adversarij, perpendenti mihi persuadere queat, ingenuè ceu verbis effero, sic animò sincerè sentio. Quanquam enim omne citra dubium aliquid esse potest, quod nos ad industriam novitatis excitet, si tamen hac in re tam ardua rationibus adstipulandum est, paucas paucis, ne vel plus debito mihi tribuere, vel cujuspiam aures lædere incu-
fer,

ORATIO.

fer, ad examinis accuratioris æquilibrium appendere, labori nostro convenit. Optandum autem esset initio præ cæteris omnibus, ut iis qui sedent obfuscati tenebris errorum, lux orthodoxæ nostræ fidei, & religionis, quam profitemur, certitudo in animos affulgeret. Non est enim hæc cujus nos asseclas jactamus, religio, vel angelicis ministeriis primùm allata, sed in Paradyso à DEO ipso prodita, non humani cerebri indagine inventa, sed ab æternò DEI Filiò, è patris sinu, revelata, non imperfectis humanæ sapientiæ verbis comprehensa, sed, dictante veritatis doctore Spiritu S., in universum orbem terrarum dispersa, non est doctrina privatæ interpretationis, sed, quam homines DEI, acti S. Spiritu, locuti, & prophetæ olim, professi sunt, quam Apostoli in viis gentium, & ad fines populorum deportârunt, quæ à conditò mundò regiones omnes peragravit; veritas est illa, quam tot millia Christianorum, summa inter salutis humanæ discrimina, amplexi sunt & constanter asseruerunt, & quam adeò splendida BB. martyrum corona suo sanguine, non minori sua cum laude, quam Ecclesiæ totius incrementò firmiter obsignârunt, per quam, quotquot fidei suæ finem reportârunt, immortalis gloriæ βαβείον adepti sunt. Etsi namq; talem fidem nostram hæretici non agnoscunt, tamen & victoria fidei nostræ, quæ mundum cum organis suis sæpè vicit, & articulorum omnium cum scriptura sacra conformitas, & pignus S. Spiritus internum, conscientiæ nostræ testimoniū perhibens, quod filij DEI sumus, quotquot in nomen ejus credimus, religionis nostræ veritatem
in se

O R A T I O.

Ioh. 8.

Luc. 16.

2. Tim. 1. v.

13. & 14.

Ephes. 4.

Gal. 1. v. 8.

in se certam satis superq; testantur; ubi nos illud insuper de certitudine nostra roborat, quod hæretici tam obstinati, neq; cum Judæis veritatem dicenti Scripturæ ac Christo credant, sed eundem ignominia afficiant, neq; cum epulone damnato, quia Mosen & Prophetas, hoc est, verbum & scripturas negligunt, miraculis credituri essent, sed ut Apostoli stylo loquamur, indocti & instabiles isti, partim Dominum, qui redemit eos, negant, partim scripturas intricant & depravant, adeoque fit Evangelium pacis & verbum vitæ perversis ejusmodi odor mortis ad mortem. An verò quicquam pietate nostra indignius, aut in veram religionem iniquius, quam veritatem ob adversa mendacia deserere, & solum ejusmodi nobile à spurcissimis porcis, (hæreticos volo,) evelli? Ab adversariis, fidei fundamentis antiquis contradicitur, veritas labefactatur; demonstrationum novitas innuitur, opinionum vanitas intenditur. Aliud certè consilium est scripturæ. Est per exemplum, Pauli ad Timoth. ep. 2. cap. 1. Formam teneto sanorum verborum, & depositum fidele custodito, per Spiritum S; qui habitat in nobis. Est per præceptum, ne circumduci aut agitari nos patiamur omni doctrinæ ventò Eph. 4. Est per minas, seductoribus factas, gravissimas; sunt quidam, qui vos intricatos reddunt, ait Apostolus, & Evangelium Christi conantur subvertere, Quod si nos, vel angelus etiam de cœlò aliud Evangelium vobis prædicaverit, anathema sit. Gal. 1. v. 8. & 2. Joh. v. 10. Si quis ad vos venerit, & doctrinam istam non attulerit, eum in domum vestram non recipite, nec ave ei dixeritis.

Ac ne

O R A T I O.

Ac ne quis opinetur, quasi more Pontificiorum, id quod diuturniori Ecclesiæ consuetudine, vel longo temporis usu invaluit, & firmitatem quandam obtinuit, infallibile veritatis *κρίτηρον* arbitremur, nec illud silentio prætereundum autumo, qualiter Ecclesia in istâ fidei professione semper & egerit & duraverit. Et sanè, quemadmodum prophetia nulla privatæ est interpretationis, & nunquam allata est humanâ voluntate, sic Ecclesia quæcunq; docuit, è scripturis divinis desumpsit, nec unquam ulterius propagare docendo voluit, nisi quæ prius ab ipso Christo orta, & ab Apostolis atq; prophetis ad posteritatem transmissa fideliter agnovit. Ambigunt adversarij? Nullibi certè, quod ipsos animò suspendat, invenient. Ecclesia quippe quidem ex hominibus infirmitati obnoxiiis collecta, sed quam Christus aquæ lavacrò repurgavit, in sanguine suo, & quasi gubernator juventutis eius in semitis rectis eam edocuit, & ad pascua vitæ eduxit, imò cui se tam arctò fœdere coadunivit, ut illasit corpus, cuius ipse caput est, quem & obsequiis in fide veneratur, sequitur & nnicè profitetur. O eruditos discipulos, quorum doctor est ipsa veritas! O felix curriculum, in quò summum bonum est via! O vegetissima corporis membra, cuius caput est mundi vita. Quod igitur alterum? Duravit inconcussa semper Ecclesiæ purior religio. Veritas sæpè quidem fuit pressa, oppressa verò nunquam: Causam indagatis? Servavit hanc insignis illa, quæ tristitiam omnem expulit, pericula plurima subire, tormenta crudelissima sustinere persuasit, quæ de præsentia divinæ gratiæ singu-

C

lari,

O R A T I O.

lari, & æternâ gloriâ spem firmissimè fidelibus munit, Servatoris nostri promissio, quod inferorum portæ non prævalituræ sint adversus Ecclesiam, & cælò terraq; transeuntibus, verbum DEI nostri seculis infinitis duraturum. Quisquis itaq; verbum hoc, quod tyrannidis atrocità devincere non potuit, hæreseos of-futiis confundi posse æstimat, vel ex instinctu S. Spiritus ortum & servatum dogma, Diabolicis technis, vel humani ingenij inventis explodendum metuit, is profectò DEUM ipsum creaturis inferiorem constituit, & os illud, in quò dolus inventus non est, iniquitatis & mendacij adstringit, quod utrumq; certè, ut cogitatu summè impium, ita dictu perquàm horrendum. Venio nunc ad honorem illum atq; debitam, quâ Præceptores fidelissimos, & summè sacris in scripturis ejusdemq; veritate sobrios, prosequi nobis convenit, reverentiam. Etsi verò minimè, ab unius magistri ore vel autoritate dependendum esse, statuitur; res tamen in manifestò est, ingenuum discipulum ideò præceptori suo parere, non quia simpliciter docet, sed quia & ea quæ veritati sunt consentanea, & discipuli salutaria, in se autem firma, nec refutatu facilia, à docente communicata discuntur. Et sanè, quâ cum pietate & animò æquitatis studiosò, rectè docentium honor & autoritas, præ iniquorum veritatis of-forum futilitate ac nugis, pluris faciendâ sit, mens discreta facilimè viderit. Illi namq;, quos, à tempore reformationis, per B. Lutherum factæ, purioris sententiæ Theologos, doctrinâ tum Ecclesiasticâ tum Academicâ insigniores, habuimus, quàm exacti solidiq;

judi-

O R A T I O.

judicij, quàm ingenui candoris ac fidei, quàm plurimorum donorum ornamentò cœlitus instructi fuerint, quis est qui nesciat? In eventu profectò res est clarior, quàm ut sermonis copiâ, ornatusq; elegantia, prout par est, exaggerari possit. Illud enim, quod veritatem Evangelij hætenus illibatam retinuimus, & falsitas dogmatum profligata fuit, ut divinæ clementiæ benedictioni, ita Theologorum Orthodoxorum industriæ ac labori vigilantissimo, quantumcunque, quod sanè maximum, est, universum debetur. Atq; si nomina fidelibus Verbi ministris atq; doctoribus in scripturâ passim attributa, paulò consideratius inspexerimus, & quid isti Viri optimi fructus & utilitatis in Ecclesiam contulerint, hodieq; conferant, & quam ex ipsorum scriptis fidei *πληροφωρίων*, Ecclesia universa capiat, & quantam ex eorundem meritis observantiam quodam jure suo exigant, is certè, qui beneficiis divinis uti gratus desiderat, citra justitiæ dispendium ambigere nequit. Hæc enim omnia quanti censebimus? Homines ad æternam salutem atq; veram DEI agnitionem deducere, hostes quorum potentia est valida, versutia callida, copia velut infinita, nondicam aggredi, sed devincere, puritatem fidei ac libertatis Christianæ vindicare, præsentibus & jam vivis esse subsidium, futuris atque posteris fundamentum, Ecclesiæ columnam, veritatis vehiculum, DEI cooperarium, æternæq; vitæ velut anteambulonem, hæc, inquam, omnia sunt in se maxima, quæ bonos alios omnes, apud eos quibus insunt, in admirationem



O R A T I O.

fui & observantiam maximam rapiunt validissimè, & hoc ad ipsum peragendum à DEO labores justos præmiis decentibus compensante præordinata non ineptè judicantur. Ita quippe Spiritus Sanctus exprimi curavit, ut presbyteri qui benè præfunt, duplici honore digni habeantur, quod & emeritissimis Theologis, præceptoribus nostris nunquam satis honoratis, exhibere, utpote viris ejusmodi, qui officiò suò omnia superius recensita præstiterunt, nostrarum est omnino partium. Pròh itaq; Deum immortalem, ingratorum inter Christianos, ac cum primis eos, qui literis humanioribus & moribus expolitis imbuti esse, tum etiam è sacris literis suum cuiq; tribuere, & ad regulas divinitus præfixas agere debebant, etiam aliquando numerum haud exiguum reperiri! Agnoverunt istius honoris æquitatem aliquantò saniores Ethnici, qui palam etiam scriptis suis, magistris Dijs & parentibus non reddi posse æquivalens, inferere non dubitârunt. Et Pythagoræorum discipulorum erga præceptorem observantia, meo quidem judicio, contemptum isthunc Theologorum celebrium & Orthodoxorum gravissimè accusat, qui à præceptore suo prolata dogmata ne quidem unquam in dubium vocare ausi sunt, cum tamen is, neq; rerum gravitate quas descripsit, neq; ingenij acumine, quod naturali debilitate languere potuit, & fidei certitudinem perfectam, & reverentiæ meritum immortale sibi conciliare potuerit. Ad Corinthiorum Ecclesiam deniq; provocò, qui à doctorum suorum ore adeò dependebant, ut alter ab Apollo, alter à Pauli, alius à Cephæ nomine vocari,

1. Cor. 1.
v. 12.

ORATIO.

cari, & ex observantiâ doctorum quasi schismata fidei distincta, nimium eos suspicientes, exstruere cuperent, quæ nimia & haud culpâ vacans honoris species tantò gravius est ingratos istos confusura, quantò plus hi benè meritis observantiæ congruentis derogant. Offendunt itaq; pios omnes, DEI pietatem haud agnoscunt, nec congrua humanæ societatis officia distribuunt, sed adversarios veritatem blasphemare faciunt, quotquot præceptorum placita scripturis consona, & argumenta, dictante Spiritu S., pro veritate salvificâ allata, novitatis studiosi, rejiciunt. Hûc etiam mors præceptorum, quæ ipsis est beata, nihilominus Ecclesiæ honorata, sese insinuat, ubi certè justus in memoriâ cû sit æternâ, ab auditione malâ non timere debet, sed quorum, dum in vivis essent, officij gravitas & donorum excellentia, à pietatis ac virtutum cupidis magni æstimata fuit, eorundem professio firma & autoritas, post mortem, par est, ut per omnia consistat incolumis. Neq; verò tam honorificè, coram nostris & inter Orthodoxos modò sentiendum esse reor, quippe non tam iis, qui nobis favent, ut commendatio nos majores faciat, quàm ut his qui nobis adversantur, defensio legitima sistat insontes, indigemus. Ut igitur unò omnia complectar verbo, sententiam præceptorum avidi amplectamur, eosdem proni veneremur, illorum merita extollamus, memoriæ gratæq; posteritati benè precemur, memores illius dicti & exprobrationis Pauli 2. Tim. 4. v. 3. Erit tempus cum sanam doctrinam non tolerabunt, sed auribus prurientes, ipsi sibi pro suis cupiditatibus coacervabunt doctores: Nemo, quæso, nostrum liberaliter in

2. Tim. 3.



O R A T I O.

æde Domini educatus sit, cui non educatores, cui non magistri sui atq; doctores, cui non locus ille mutus, ubi ipse alitus aut doctus est, (quod & homo gentilis agnovit,) cum gratâ recordatione in mente versetur. In medium porro jam hæreticorum caterva prodeat, & num illorum respectus tantus sit, ut ab ea, quæ fundamentum habet in scripturis, veritate, & unanimi Ecclesiæ consensu per Spiritum S. obsignata, tot illustrium virorum fundamentis continuatim roborata, & ad sufficientiam usq; multis ab hinc annis, est stabilita, illorum in principiis negatio impudens, & fallax studium hypotheseon falsarum avocare nos possit aut debeat, examinari sese patiatur. Ita verò nostrum hîc institutum moderabimur, ut & paucissimis res expedita sit, & nullibi, quod vel de privato aliquò affectu nostrò, vel de factâ sibi injuriâ hæretici conquerantur, retineant. Ad stylum autem Spiritus Sancti biblicum, me converto, & quomodo describantur è multis pauca assigno. Desciscunt igitur à fide, spiritibus seductoribus attendentes, per hypocrisin falsiloquiorum, quibus cauteriò resecta est conscientia, homines sui amantes, vitiis multifariis dediti, habentes effigiem pietatis, sed qui vim ejus abnegarint, Pseudoapostoli, operarij subdoli, lupi rapaces non parcentes gregi, loquentes perversa, ut abducant discipulos post se, veluti bruta animantia quæ naturali impetu feruntur, facta ad eum finem ut capta intereant, ea vituperantes, quæ ignorant. His & aliis quàm plurimis obscœnis proprietatibus infames mentes, quibus exprimendis vix Apostolus verborum satis invenire potest 2. Pet. 2., veritati ac certitudini cœlesti opponi, oppositas adornare,

1. Tim. 4.

v. 1. 2.

2. Tim. 3.

v. 1. & seq.

2. Cor. 11.

Act. 20.

ORATIO.

nare, adornatas extollere, elatas divinis fundamentis antepone, antepositis orthodoxian aggravare, aggravando deniq; veritatem supprimere conari, num ab eò qui tentaverit, aliquid magis impium imò diabolicum, ab eò qui id permiserit Christianæ conscientia crudelius, ab eo demùm qui tam ingens sacrilegium & iniquitatem omni excusatione non dicam majorem, sed indignam, in se, consentiendo, derivaverit, an, inquam, & aliis periculosius ad scandalum, & sibi gravius ob æternum exitium committi queat, ego nusquam animadverto. Verùm agnoscere Theologia nostræ principia hæretici recusant? Abeant, valeant, imò pereant. Quemadmodum enim Jannes & Mambres restiterunt Mosis, ita & hi resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobis circa fidem. Qui est ex DEO verba DEI audit. Ipsi è mundo sunt, ideo mundana loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex DEO sumus, qui novit DEUM audit nos, qui non est ex DEO, non audit nos: ex hoc cognoscimus spiritum veritatis & spiritum erroris, inquit Joh. i. epl. cap. 4. v. 5, & 6. Aufer igitur hæreticis, ait Tertullianus, quæ cum Ethnicis sapiunt, ut de scripturis solis suas quæstiones sistant, & stare non poterunt. Ad finem jam Audit. omnium. Ord. præstantis. properamus, ubi nos à desertione fundamentorum veterum, & novitate demonstrationum solâ amplectendâ dehortatur Philautiæ, & Sapientiæ proprio in cerebrò recens natæ, vel absurditas, vel etiam sapissimè conjuncta pericula. Quid enim absurdi, quàm ab homine juniore satis in judicio suo de rebus tantis nondū confirmatō vel le quid concludere, quod & viri controversiarum, peri-

2. Tim. 3.

v. 8.

Joh. 8.

1. Joh. c. 4.

v. 5. & 6.

O R A T I O.

peritissimi, S. literarum benè gnari, haecenus non agnoverunt, nisi forsàn Enthusiasmo aliquo DEUS hominibus istis à seculo reconditam scientiam inspiraverit, interim modò revelationis divinæ & doctrinæ sacræ identitate undequaq; reluctante. Scilicet hoc ipsum est quod in Propheta extat: Somniavi, somniavi: Usq; quo? An non est in corde Prophetarum prophetantium mendacium & prophetantium dolum cordis sui? Autodidactos hujusmodi feliciores scilicet ipsis Apostolis equidem judicem, qui toties à Christo ipso doctore expeditæ linguæ instructi, tamen quid loqueretur intelligere non poterant. Aut forsitan isti non in se percipiunt animalem hominem, qui non intelligit ea quæ sunt Spiritus DEI, aut jam hic non amplius contemplantur velut in ænigmate, sed sunt ubi jam vident à facie ad faciem. Quomodo autem iis jam, id quod perfectum est, venerit, eventus haud obscure aliquando contestatus est. Tutius itaq; præceptores & recta docentes sequi, quam propria imaginatione falli. Agnovit hoc ipsum ignarus DEI veri Bion, arrogantiam, dicens, esse profectus obstaculum. Indocilis enim est qui mavult doctus videri quàm esse, magis autem illud elegans sententia Salomon Proverb. 18. v. 1. nobis in memoriam revocat, inquentis: Ob desiderium ejus quæret separatus, in omni Sapientiâ miscebit se. At non sibi complacebit stultus in intelligentiâ, nisi cum manifestabitur core ejus. Unde quàm sapiens & ère discipulorum admonitio illa fuerit, quàm olim Zeno cuidam discipulorum suorum aliàs inflato turgidoq; sed ignavo juxta ac rudi præbuit, hisce verbis: Non si magnus fueris bonus & eruditus eris, sed

Prov. 18.


F 5202


● X 2614202

VO 17

[Handwritten signature]







B. LUTHERI PARENTALIA.

Hoc est,

Argumentorum, pro stabilien-
dis articulis fidei Christianæ, à prædecessoribus
Theologis Orthodoxis huc usq; positorum fir-
mitas & evidentia,

Ecōtra hereticæ profanæ ac inflatæ novitatis improbatio:

Sub hac quæstione,

*Num in adversariorum gratiam antiquis fidei funda-
mentis cedere, novasq; probandi rationes veteri-
bus explosis assumere necesse sit aut
licitum?*

Oratione simplici, (veri tamen & aperti studiosâ,)
concinnata, & in inclytâ Academiâ Witebergensi Anno
Christi 1615. mense Aprili recitata,

à JOHANNE CLOSIO Wratiss-
laviensi Silesiô.

Nunc permissu superiorum prælo publico commissa.

WITEBERGÆ

Ex officina Johannis Richteri, Sumpti-
bus Helvvichianis.